



S

Freiherr v. Ende-Schlossnitz.

40.
37

H.

DISSERTATIO MORALIS
De
**PRÆROGATIVA
BARBARORUM POPULO-
RUM PRÆ CULTIO-
RIBUS.**

Quam

IN

ACADEMIA FRIDERICIANA

Publicæ Eruditorum disquisitioni

d. XV. Septembris Ao. 1693.

subjiciunt

PRÆSES

M. JOH. WILHELM ZIEROLD

Wiesenthalio-Misnicus,

&

RESPONDENS

JOHANN JULIUS SPROCKHOFF,

Brunsvicensis.

HALAE MAGDEBURGICAE

Typis CHRISTOPHORI SALFELDII, REGIMINIS ELECT.
BRANDENB. Typ.

Dissertatio Moralis

De

PRÆROGATIVA PARBARIORUM POPULI.

RIAM PRÆCIPITIO.

ETIABIS

QDNUK

ACCORDANTIA TRIBURNIANA

ET

AL

ET

TRÆSIS

MOTIVATIÆ VERBI

WIEGELINUS-WILHELIUS

ET

AL

RESPONDENS

JOHANN LUTHERI SPLICERHOF

DUYVIACUM

LUDV. KEGELIANA GÖTT.

TAB: CHRISTOPHERI SAUILLONI REGIUMNE FEST.

BURNDIANA TAB.



EPITOME.

Initium Dissertationis §. 1. origo differentie inter populos cultos & barbaros ex societate civili. §. 2. Definitio populorum cultorum & barbarorum. §. 3. varia significatio barbarorum & cultorum populorum. §. 4. Societas civilia & libertas indifferentes sunt plus mali tamen ex abuso civitatum. §. 5. Ex societate apud cultos populos plus superbiz quam apud barbaros. §. 6. plus luxuriaz. §. 7. plus avaritiaz. §. 8. Propterea majora bella apud cultos quam barbaros. §. 9. Refutantur Greci & Aristoteles qui bellum in Barbaros naturale dixerunt. §. 10. Decorum cultis populis noxiun fuit, ejus defectus Barbaris non obfuit. Ob defectum decori in sermone Greci & Romani omnes gentes barbaras dixerunt, sed Latini quoque alii barbari dicti. §. 11. Vanitas hujus decori superiori & nostro seculo in Lingua Latina & Graeca. An haec lingue sint vehicula sapientie? §. 12. Prerogativa Barbarorum in Philosophia, Populi morati Philosophiam a Barbaris didicerunt, probatur ex Hist. Phil. §. 13. Vera Philosophia apud cultiores corrupta, vitiis, prejudiciis & imperio in intellectum. Veri Philosophi contempti, mali honorati. §. 14. Prerogativa Barbar. in Medicina ob temperantiam & animi tranquillitatem. §. 15. Prerogat. Barb. in Jurisprudentia, ob bonos mores qui legibus non opus habuerunt. §. 16. Prerogat. Barb. in Theologia naturali, §. 17. In respectu Theologiae revelatae, V. & N. Test. tempore Christi, Apostol. Corruptio Eccles. per cultum tempore Constant. M. Caroli M. apud German. Tempore Lutheri, & post ea tempora

Dividitur universum genus humanum in duas partes, in Barbaros & populos cultiores. Qvaritur, utrum Barbaei cultioribus, an culiores Barbaris sint praeferendi? Vota multitudinis si colligeremus, quæstio ne quidem movenda fuisset, cum pauci

forsitan stulti videri velint, ut Barbaris prærogativam concederent. Ita est, non pauca sunt in rebus mortalium, quæ quantum habent discriminis, non intelligas, nisi animo à vulgo receptis opinionibus, ad rerum vim & naturam converso, veritatem candido contemploris judicio. Multa in speciem & prima fronte vilia & ridicula videntur, sed proprius intuenti thesaurum ostendunt, ceu viii cortice a profanis oculis disimulatum. Alia e contrario summo habitu vultuque blandiuntur, & quod eximium habent obviis statim ostentant, interius vero contemplanti nihil minus sunt, quam quod titulo vultuque per se terebant. Si cultorum populorum formam externam contemploris, homines, & homines felicissimos dices, alios vero ab hoc statu recedentes non nisi vilii barbarorum rejiceres nomine. Sed consideremus altius paulisper hinc barbarorum simulacrum, hinc cultiorum populorum imaginem, ut quorum causa deterior sit, clare elucescat.

§. I.

Quartitur primo: Unde differentia inter barbaros & moratores populos orta? An homines inaequales peperit natura noverca? an hunc barbarum illum mortatum produxit? Respondebit mihi tacita lectoris cogitatio: culturam & barbariem a natura datam esse nemini. Testatur enim experientia, varia hominum studia varie inflectere hominum ingenia, ita ut ex genio variorum populorum quilibet sic animum instruere queat, ut diversus sit cum diversis. Loqvuntur non solum sed clamant historiz, primos terræ incolas elegantiori cultura fuisse vacuos, utpote rudes sine mœnibus vitam agentes. Cum vero deinde homines consociarunt operas, communicarunt quæ vel propria experientia ac ingenio vel occasione invenierant, exercuerunt commercia, conjunxerunt domicilia, nata exinde est societas, ex societate cultura. Hinc orta rerum omnium affluentia, ex diversitate superiorum & inferiorum inaequalitas conditionis, exinde opulentia & egestas, & tandem ex superiorum simulatione, decorum.

§. II, Gen-

¶. II. h. Gentes igitur cultiores sunt populi viventes in societate, ubi diversitas est conditionis & ordinis, copiosus rerum apparatus, opulentia, egestas, & decorum. Barbari vero sunt populi qui vivunt in libertate, ubi equalis est omnium conditio, ubi vivitur modo, bona sunt communia, & mores naturales.

¶. III. Inter hos duos cultorum & barbarorum extremos gradus, annumeri sunt intermedii. Qvo magis enim inclinant populi ad statum naturalem, eo barbariores habentur, & è contra qvo magis à naturali libertate recedunt, eo moratores dicuntur. Hos vero intermedios gradus omnes accurate determinare ob infinitam varietatem, hominis non est. Quare etiam non est mirum vocem barbarorum à variis populis varie acceptam fuisse, aliis barbaros in defectu decori alii eos in egestate vel à qualitate conditionis quarentibus, quæ variz vocis acceptiones in ipsa explicatione definitionum indicandæ erunt. Interim hoc saltem notare operæ pretium est, qvod pro diversitate graduum inter barbaros & populos cultiores, diversa qvoqve sit eorum prærogativa.

¶. IV. Ad intelligendam Barbarorum præ cultioribus prærogativam, necessarium est præmittere tum de natura societatis moratoriorum populorum, tum de libertate barbarorum. Quando igitur qvæstio est: Utrum societas (civilis nempe, ita enim societas absolute posita hic semper accipitur) præfenda sit libertati status naturalis, an libertas status naturalis societati, præsupponendum est ante omnia, qvod qvicquid rerum est, in se & sua natura indifferenter (ut vocant) se se habeat, omniaque vel bona vel mala reddantur ex diversa applicatione: ita gladius aliam quasi faciem induit in manu sapientis, aliam in manu furiosi. Non aliter comparatum est cum societate & libertate. Vivitur bene in societate, bene qvoqve in libertate; At (inqves) abusi sunt homines libertate sua & propterea societas introducta est. Bene habet, sed annon abusi sunt qvoqve civitate? Ergo societas qua societas & libertas qua libertas, nihil vel emolumenti, vel detrimenti habent. Ad id potius intendemus animum, annon remedium hoc qvod societas dicitur, in graviorem versum sit

perniciem. Qvis enim ægrotorum felicior dicendus est, qvi sine sumpta medicina vitam qvalemcunqve trahit, an qvi medicamine ipso mortem sibi accelerat, aut gravius qvoddam detrimentum? Ita qvamvis abusus status naturalis multum incommodi habeat, plus tamen est ex abusu vitæ civilis. Videntur igitur, annon vulgare dictum huc qvadret, qvod stulti dum vitant hoc aut illud malum, in aliud, aut etiam idem, multo gravius incident.

§. V. Primum qvod societas in genus humanum introduxit, est diversitas conditionis & ordinis. In societatis enim opus est magistratu, sive vim publicam uni, sive paucis qvibusdam tradas, adeo ut ubi etiam omnes imperare crederes, magna tamen pars serviat. *Qvia* vero natura homines jussit esse æqvales, nihilominus tamen homo ab invente adolescentia diversitati conditionis humanaæ assuetus est, animum ejus occulti agitant gloriæ stimuli, ut qvacunque via ad laudem grassari aliusque antehaberi labore, in eoque maximam percipiat animi voluptatem, qvod habeat ut cum aliis se se conferens, magnifice possit sentire de se ipso. Hinc ut qvilibet dignitatem eminentiorem præ aliis sibi assertum eat, varia adducuntur argumenta, allegatur amplitudo & opulentia ditionum, splendor tituli, antiquitas regni atque familiae. Eminentij ejusmodi dignitate præditos circumdant omnis censu æratissime homines, famam, opes & honores qværentes, qvia nemini non pulchrum videtur inter aulicos obambulare proceres, vetustis stemmatibus, torquevis aureis & splendidis cognominiibus aliis se præferre. Gaudent præterea ea felicitate, qvod ipsis laudi omnia vertantur, qvodque nihil non ipsis liceat, adeo ut quidquid in homine barbaro pessimum facinus est, in illis summo extollatur encymio. Barbari igitur ad tantam ambitionem non eadem invitantur occasione, cum enim omnes sint invicem æqvales, & qvilibet actionum suarum arbiter, nemo ab altero suo jure honorem & venerationem postulare potest. *Qvamobrem* superbia cum societate introducta est, & quo longius à naturali æqualitate recessum est, eo major orta est superbiz

ty-

tyrannis. Paulatim enim & hoc vitium sub specie culturae in genus humanum irrepit. Barbaricis adhuc temporibus unica via e tenebris in lucem emergendi erat; si quis ingenio, & eloquentia sedaverat incitata multitudinis fuorem, si quis notitia variarum rerum animum excoluisset, si gereret animum firmum & per externa inconcussum, illecebrisque & terroribus superiorem, hinc honor & cultus statim illis publico consensu delati; hinc eorum filiis quoque honor habitus ab illis, qui paternae virtutis semina illis inesse arbitrabantur. Sed nihil tam sanctum est, quod non cultura populorum perversat, & non pauca benè à barbaris inchoata, sola culturae specie in ambitiosos mores degenerarunt, adeo ut nullos abjectius & servilius servos videres quam hos, qui se deinde diis (ut dicunt) proximos, & omnium Dominos credebat. Quanta gloria febris cultum Alexandri animum obsederat, cum plures mundos optabat, quos devinceret; quam modestè autem Scythæ illi respondent apud Curtium: nec servire ulli possumus, nec imperare desideramus? Annon apud cultissimas gentes semideus dicebatur, qui sangvinis seriem ad Codrum Atheniensem, aut ad fabulosum Herculem referre poterat? annon primus omnium ponebatur, cuius triavus in bello strenuum homicidam egerat? obscurus vero & objectus qui sapientia & virtute Reipublicæ utilitatem promovebat? Atque in hoc consistit prærogativa populorum cultiorum præ barbaris, quoad ambitionem.

§. VI. Porro comparandus quoque est morationum populorum copiosus rerum apparatus, cum modico Barbarorum. In hanc rem merentur ut adscribam sapientissima verba Illustris Pufendorfii quæ habet in Dissert. de statu hominis naturali §. 6. Illud observandum, mortalium multos, dum status naturalis miseras dispellere, vitamque copioso adparatu instruere labrant, modum hec excessisse, viamque ad avaritiam & luxuriam patefecisse, magno malorum proventu genus humanum inundare solitas. Inde & divina literæ & sapientum precepta modum studio acquirendi, ac vitam velut expoliendi ponere jubent; ne circa supervacua fideatur, & breve hoc quod degimus evi interimania curarum frustra effuat;

nec

nec vigor in debilem molliciten frangatur. Cum longe melius vita
exigatur modico sobrioque adparatu, & virili patientia ad aspera ob-
durato corpore, quam per nimias copias, que onerant potius, quam ins-
truunt, aut per teneram mollitatem, que etiam mediocrum molestia-
rum sensum exasperat. Si notamus populorum moratorum
mores, semper in pejus degenerarunt a virtute majorum suo-
rum. Livius in Praefatione Historiarum Romanarum sero avaritiam
& luxuriam in illam Rempublicam immigrasse dicit, & diu
paupertatis & parsimonia honorem fuisse: adeoque (inqvit)
quanto rerum minus: tanto minus cupiditatis erat. Nuper divitiae
avaritiam, & abumantes voluptates desiderium per luxum atque libi-
dinem pereundi perdendique omnia invexere. Porro Livius quo-
que ostendit, quomodo Roma tempore barbarie aucta, & di-
versis gradibus deinde crescente cultura imminuta fuerit,
quomodo labente (inqvit) disciplina, velut desidentes primo mores
sequatur animo: Deinde ut magis magisque lapsi sint, cum ire cepe-
rint precipites, donec ad bac tempora perventum est, quibus nec via
nostra, nec remedia pati possumus. Loquitur Livius de tempo-
ribus, quibus Roma absterna tristi barbarie cultissimam se
omnium gentium jactabat, ita ut omnes extra Italiam &
Graciam positos tristi aversaretur barbarorum nomine. Ita
nos Germani, si mores nostros comparamus cum virtute
veterum Germanorum barbarorum adhuc, quos describit Tac-
itus, multum a paternis moribus & virtutibus degeneravimus.
Audiamus saltem Conringium Exercit. de Rep. Imp. Germ.
3. p. 112. §. 78. Prisci Germani (inqvit) nulla opum cupiditate, nullo lu-
xu, ruditeeti vellere, & cibo simplice, latte, caseo, agrestibus pomis, re-
centi fera contenti, vitam omnem in studiis rei militaris transegerant.
Eoque commodius tunc fuit disserens ac dispersis edibus habuare, ut
fons aliquis, ut campus, ut nemus maximo poterat usui esse, quod ita ni-
bil possent sue desiderare beatitudine. Nee peregrine mercatura ergo
tunc locus, vilia tantum & obvia perterritibus, & nullo opum honore; op-
ficia verò penè omnia exularunt, luxurie scilicet & mollis vite instru-
menta. At postquam vestis eleganter & laetior cibus & domus splen-
didior, mutatis Romana consuetudine moribus paulatim copiū allubefce-
re, crevit necessariō artificum copia, & mercatura ad exterios exten-
ſa est.

sa est. Hinc opum cupido, & rationes varie excoitate faciendo numeri; unde tandem non elegans amplius vita, sed luxuriosa in ^{pre}recio. Præcipue à tempore Caroli M. Germani à virtute majorum in luxuriam degenerarant, donec vertentibus aliquot seculis splendidæ civitates opibus abundarent; ubi quotidiane non pa- rum à paternis virtutibus remissum fuit. Sed erant tamen adhuc rarae barbaricæ virtutis reliquæ, verum hæc quoque paulatim nimia cultura delecta sunt, ita quantum per unius hominis ætatem à pristina temperantia remissum sit, observa- vit B. Seckendorff in Christen-Stat Lib. 2. c. 2. §. 9.

§. VII. Ex luxuria hac & ambitione orta quoque est apud populos cultos inæqualitas opum, quæ introduxit pecuniam seu medium omnia acquirendi, hinc quia tantum quis estimatur, quantum quacunque via possidet, divitias per faxa per ignes expetunt universi. Barbaris pabulum posuerat natura, & sub magistratibus rudibus adhuc & nondum satis quid esset tyrannis instructis, bona naturæ erant communia, maria, flumina, viæ publicæ, uti pisces è fontibus ad mare neminem vident, qui vivendi vestigia extorqueret. Cultæ vero gentes, veluti soli homines sint, veldii potius, omnia sibi adscribunt. Barbari dum colunt agros & pascunt iætas pecudes, sicutus habent ex proventu terræ, quæ veluti gratissima debitrix, pro singulis granis aliquoties centena reddit. Moratores, insuper habita agricultura, sordidis negotiationibus, mendacis, technis, miseros homines exugunt. Miserrimus nauta non modo cum fluctibus & ventis rem habet, sed etiam ubi portus occurrit, aliquid extorquetur. Trajiciendum flumen, transeundus pons est, dandum est. Ita lacri bonus odior ex re quavis (ut ajunt) etiam ex rebus sordidis & minutis. Quod enim paucis vivatur bene, cultiores populi sibi nequaquam persvasum habent, hinc negligunt, quæ passim sunt obvia, & ad sustentationem vita necessaria, verum uniones, pretiosos lapides, in sciniis reconditos magis expetunt. Quare quo in temperantius ejusma-

di nugis sese explet, hoc magis magisqve sitiunt, esuriunt-
que, adeo ut nullos pauperius pauperes videres, quam qvos
populi culti ut divites adorant.

§. VIII. Hæc sunt, qvæ ex societatibus oriuntur, hæc
qvoq; sunt qvæ obstant, qvominus homo finem societatis,
hoc est, tranquillitatem obtinere queat, adeo ut à nulla un-
qvam barbarie adeo sacerdotum sit in genus humanum qvam à
populis qvi à libertate status naturalis longissime recesserunt.
Primo mores exasperat ambitio, ita ut non minori molimine
super dignitatis eminentia certare multos videoas, qvam si de
vita & summa felicitate ageretur. Qvamdiu paucis viveba-
tur benè, non opus erat inhiare aliorum bonis, nec qvisq; vam
moliebatur insidias rebus modicis, nec facile corrumpi se pa-
tiebatur ut alios proderet. Cur Curius Dentatus aurum Sa-
binorum rejecit, eoq; se non indigere dixit, qvam qvia ra-
pis pro cibo utebatur, ad qvem victimum tanti sumptus non
reqviruntur? Si revoltes Barbarorum res gestas, qvam mul-
tos reperies duces, qvi miris artibus bellum declinarint? Qvi
hostem officiis devincire, qvam armis devincere maluerint?
Unica oratio, qvam Curtius de Scythis refert, causam
Barbarorum præ cultissimis Græcis optime agit. Bellabant
enim Barbari humanius culto Alexandro, bellabant majori
fide, nec similibus artibus, nec tam frivolis titulis. Hinc
Constant. Manasses in Annal. p. 359. In Barbaris virtus ac indoles bo-
na existit, hominesq; linguis diversi, nihilominus amicitiam & amo-
remmatuum illesum conservare candidè possunt. Nam virtus & ho-
nestum à natura cunctis instum est.

§. IX. Græci igitur cultam humanitatem suam'parum
demonstrarunt, qvod bellum in Barbaros naturale dixerunt.
Hinc Grotius: *Male (inqvit) Græci Barbaros ob morum diversita-*
tem, forte & qvod ingenio cedere viderentur, hostes sibi quasi naturali-
ter dicebant, Lib. 2. c. 22. §. X. n. 2. de Jure Belli & Pacis. Et quando
Grotius Lib. 2. de J. B. & P. c. 40. §. X. n. 3. bellum justum dedu-
cit, contra violantes jus naturæ, Detalibus (inqvit) barbaris, &
feris

feris magis quam hominibus, dici reelle potest, quod de Persis qui Gracis
nibili deteriores erant, perverse dixit Aristoteles, naturale in eos esse
bellum. Hinc etiam Plutarchus Orat. I, de fortitudine vel virtute
Alexandri p. 329. B. laudat Alexandrum, quod non fecutus sit
consilium Aristotelis, qui eum jubebat Gracis se tanquam
Principem, barbaris ut dominum præbere: & illorum quidem,
ut amicorum & domesticorum curam gerere, his tanquam
brutis & stipitibus uti. Eratosthenes in fine Commentarii non
minus improbat eorum sententiam, qui universum genus hu-
manum in duas partes dividunt, videlicet in Græcos & Bar-
baros, & qui Alexandro svaserint, ut Græcos pro amicis, Bar-
baros pro hostibus haberet, virute (dicit) & malitia rectius eos
dividi: nam & multos Græcorum esse malos. Et de Barbaris lau-
de dignos, ut Indos vel Aſianos, itemque Romanos & Carthag-
inenſes, &c.

§. X. Tandem ex inæqualitate conditionis in societa-
tibus natum quoque est decorum, hoc est æmulatio quædam
superiorum quo ad eorum mores, sermonem & actiones, ab in-
ferioribus orta. Decorum autem uti in se est indifferens (ut
vocant) ita multum damni exinde ortum est populis cultio-
ribus, quia in decoris actionibus quietem quæsiverunt, adeo-
que vani facti sunt, misero plane errore. Barbari decoro
ideo destituuntur, quia omnes inter se sunt æquales; vivunt
igitur ad ductum naturæ, irrumpunt impulsu ventris ad de-
vorandas epulas; cultiores vero inituri convivium, utuntur
ceremoniis & elegantolis, ut accubitus decora quædam orna-
tur cunctatione, cultiores corpus larvamque ita inflectunt,
prout Principi placet, Barbari actiones moresque dirigunt,
prout dirigere jussit natura. Et hæc præcipua nota est, qua
Barbari à populis cultioribus maxime discernuntur, ob de-
stum enim decori culta[Græcia omnes gentes ut Barbaras præ-
se contempserit, idem quoque culta Roma imitata est cum re-
rum potita esset, ut omnes qui Romani juris ac ditionis non
essent, prater Græcos, barbaros vocaret, & haberet. Primò

quidem ob defectum decori in sermone Barbarorum nomen
introductum esse legimus à Gracis, qui omnes crasso & diffi-
cili ore loquentes Barbaros vocarunt, cumque hoc commune
& proprium videretur omnium extraneorum, nomen illud
per convitum ad omnes translatum est, qui Graci non essent,
principie ad eos, qui diverso sermone utebantur, donec &
Graci & Romani omnes Barbaros vocarunt, qui & linguis
& moribus ab illis dissiderent. Conf. Strabo Lib. XIV. Geogr.
p. 455. Quamvis autem Vossius l. i. c. i. de vitiis Sermonis. Scali-
ger Exercit. L. i. Horomann. de ritu nuptiar. C. V. p. 469. Coquejus
ad August. de C. D l. i. c. i. p. 6. Bernegg. ad Svet. August. c. 21. 3. va-
rias affirant conjecturas, à quibus populus Graci hanc vo-
cem acceperint, nudam tamen vocis hujus derivationem mag-
gis respiciunt, quam rem ipsam de qua nobis sermo est. Hoc
tantum notari meretur, quod quemadmodum Graci & Latini
incultam superbiam suam satis demonstrarunt, quod alias
gentes ob defectum Lingvæ suæ per convitum Barbaras vo-
caront, cum certe morati hominis non sit alterum contemne-
re, ita tamen alias gentes eodem jure usas fuisse ridendi Lin-
givam Latinam. Cultissimus erat Ovidius, sed ubi? Roma,
peregrinis enim Barbarus erat, ita enim dicit l. 5. Eleg. X.

*Barbarus, inquit, hic ego sum, quia non intelligor ulli,
Et rident solidi verba Latina Geræ.*

Et apud Platum Barbare loqui, est Latinè loqui, quia Latinæ
& Romani ab Aenea Phryge oriuntur, Phryges enim Barbari
erant agrestes. Hinc Poëta Barbarus, Plauto in Milite Latini-
nus est; ut Marcus vertit barbare, id est Latine. In eodem
Poëta Lex Barbarica Romana est.

§. XI. Superiori & nostro Seculo multi imitati sunt
veteres Romanos, & omnes Graecæ & Latinæ lingvæ inscios
Barbaros vocarunt, hinc hostes barbariei vocantur Erasmus,
Reuchlinus &c. utpote qui bonas litteras restaurarunt. Qui
igitur ore Romano decore loquitur, hoc est si eos potissi-
mum

mum imitatur qui florente Roma locuti sunt , Ciceronem, qvia forsan Romanorum Consul fuit, hic non superficiarie, sed profunde eruditus habetur. Sed li restauratores superiori seculo nil nisi hoc decorum possederunt, in eoque veram eruditionem, sapientiam & felicitatem quæsiverunt, idem qvod de veteribus Romanis dictum, illis quoque competit, qvod nempe labantur & errant, parumque habeant cur antecedentia secula ut barbara præ se contemnant. At (inqvies) lingvarum cognitio non quidem est eruditio ipsa, sunt tamen linguae scientiarum uicinula, præcipue Lingua Græca & Latina, Græci enim & Romani omnium fuere sapientissimi, qui igitur hilice adminiculis destituantur, non possunt ad veram sapientiam pervenire. Ergo nova nunc oritur quæstio, an nempe Græci, Latini & reliqui populi cultiores, tales sint, à quibus sapientia sumenda sit, annon Barbari & Latina & Græca Lingua destituti, sapientiores illis & feliciores fuerint. Exinde videri poterit, an secula superius antecedentia ob lingvarum harum imperitiam, an alias ob causas, misera dicenda sint. Sed hoc est in quæstione.

s. XII. Quemadmodum universum genus humanum in Barbaros & populos cultiores dividitur, ita etiam sapientia vel Barbara est vel culta. Culta iterum subdividitur in Græcanicam vel Italicam v. Lipsius manu, ad Phil. Stoicam l. 1. Diff. 3. Quaritur utrum Barbarica cultæ, an culta Barbaricæ sit præferenda. Qvod antiquitatem unius præ altera attinet, Barbaros non solum Philosophiæ, sed etiam omnium ferre artium suis inventores, pluribus probat. Clemens Alexandr. I. Stromat. p. 224. d. & p. 225. E. Quamvis igitur Laertius Græcis tribuat antiquitatem, simul genus humanum à Græcis ortum tradens, qvod fere omnes faciunt, qui antiquitatem sapientiæ sibi adscribunt, ut hodie Chinenses, qui secundum suam computationem prædamitæ evadunt. Magis tamen pronunciandum est pro antiquitate Philosophiæ Barbaricæ, si Philosophos Græcia respicimus v. Lipsius Manu, ad Philos.

Seic. l. i. Diff. 1. p. 23. Horn. Hist. Phil. l. 3. c. 1. Quid enim à singulis acceperint, nempè à Chaldeis, Ægyptiis, Persis, Phœnicibus & Judæis, & in Philosophiam suam transtulerint, late persequitur Schefferus *Philosoph. Ital. c. 5. p. 19.* Vossius *Hist. Philos. c. 6.* Græci enim anteqvam philosopharentur, in Ægyptum profecti sunt, ut à sacerdotibus sapientiam haurirent. De qua antiquitate Sectarum Barbaricarum elegantem locum habet *Luetianus in fugitivis. T. 4. p. 34.*

§. XIII. Statim autem cum Philosophia ad moratores gentes pervenit, per ambitionem, luxriam & avaritiam cultorum populorum in pejus degeneravit. Philosophi Barbari tanta non agitatabant ambitione, tantis non diffuebant deliciis, nec adeo miseræ inhiabant opulentia. Erant insuper candido prædicti judicio, nec tantis præjudiciis occupati, qvantis populi cultiores. Autoritatis enim præjudicium, apud cultiores oritur ex inæqualitate aliorum, præcipitantia vero ex propria cupidine aliis se se præferendi. Peperit qvoqve ambitio crastinum illum errorem, qvod docti alio plane gaudeant intellectu, qvam homines inerudit, tanqvm illorum animus tantummodo capax sit, veritatem inveniendi, qvare à simplici veritate declinârunt ad artes sophisticas, & præpostera atqve perversa artificia. Qvamdiu Philosophia habitavit inter Barbaros, libera erat, neqve intellectus humanus ullius tyranni imperium patiebatur, amabant singuli veritatem, qvia cum omnium cultu conveniebat; vivere modico nec curis inanibus edere cor, hoc est seipsum consumere. Postquam Pythagoras sapientiam barbaricam culta Italiæ inferebat, populi moratores incendio ejus scholam extirparunt v. *Diog. Laert. in vita Pyth.* Tempore Socratis fervebat ad insaniam usqve profitendi sapientiam ambitio, & plena cultis ejusmodi sophis erant omnia. Socrates vero barbarus Græcorum morio erat, hinc culti Græci eum sannionem qvempiam bardum ac stupidū dicebant, cuius sermo incultus, simplex, plebejus ac humilis erat, cuius

mo-

mores ad elegantiam Græcia nequaquam erant accommodati. Philosophi autem qui magis ad culturam, hoc est ad ambitionem avaritiam & voluptatem inclinabant, eo gratiore erant. Ita Aristoteles gratus erat & acceptus, quia docebat sine nobilitate & opibus hominem non posse feliciter vivere, item, non esse felicem Rempublicam ubi bona omnia sint communia. Apud Romanos quoque tamdiu virtuti & sapientiae honor erat, quamdiu barbaries regnabat, introducendo vero copioso rerum apparatu, solis opulentis honor exhibebatur, barbarus vero dicebatur egenus. Hinc Ovidius lib. 3. Eleg.

*Ingenium quondam fuerat pretiosissim auro,
At nunc barbaria est grandis, habere nibil.*

§. XIV. Cum igitur Barbarorum Philosophia viam veritatem inveniendi, nec tantis præjudiciis nec tantis affectibus obscuraverit, omnes quoque reliquias Eruditionis partes (quia Philosophia olim omnes Facultates quas hodie distinctas habemus, sub se comprehendebat) puriores habuit, quam gentes cultiores. Ut enim omittam tot ciborum genera à populis cultioribus ex peregrinis regionibus per commercia petita; affectus quoque non parum ad sanitatem vel conservandam vel destruendam faciunt, plurimos enim in civitatibus consumit ignea ambitio, non paucos axanimant libidinosa & subida gaudia; nam de vehementi animi dolore minus mirum, quamvis & plurimos sacra auri fames consumat. Ubi igitur modico vivitur; nec tanta est gula tyrannis, imo & sine affectibus vivitur tranqville, ibi ob rara morborum genera, tot medicamina non requiruntur, quot opus est ubi nimii affectus accelerant morbos, & luxuria consumit vitam.

§. XV. Introduxit quoque Societas leges ut vincula Reipublicæ, sine quibus consistere nequit. Ut vero leges ob hominum malitiam introductæ sunt, ita dubium non est,

quin

quoniam crescentibus vitiis, crescant & leges, ut in proverbio
est: Ex malis moribus, nascuntur novæ leges; qvis vero
non felicem diceret populum, ubi mores sunt loco legum,
imò sine legibus melius vivitur, quam ubi plurimæ leges vi-
gent. Id vero Tacitus de Barbaris Germanis affirmat, c. 20.
de Germ. Tantum ibi boni mores valent, quam alibi bona leges. Ro-
mani barbari adhuc paucis legibus bene vivebant, crescente
vero cultura, ambitio libido & auri fames plures quotidie
produxere leges, donec leges illæ à parvis ortæ initio eo cre-
scerent, ut multitudine sua laborarent, id quod distinctè enu-
merare nimis prolixum foret. *Coringius Exercit. de Rep. Imp.*
Germ. §. 18. ex *Tacito virtutes Veterum Germanorum colli-*
git, dicitque, raras isthac tempestate fuisse lites & composi-
tu admodum faciles; & §. 17. p. 224. *ejusdem Dissert. Simplici (in-*
quit) ratione processum in judiciis tunc esse, vetant nos dubitare
simplices tum mores populi: neque legum multitudine neque malitia ad-
zocatorum, neque lucrificidine, lites protelante. Sicutum hacBar-
barorum Germanorum virtute comparamus augmenta vi-
tiorum & legum quæ Coringius in eadem Dissertatione descri-
bit, quantis miseriis cultiores Germani se se involverint, res
ipsa loquitur. Tempore Caroli M. & Ludovici Pii quamvis
ob ingruentem culturam pluribus jam opus esset legibus, sim-
plex tamen adhuc obtinebat processus, facilis & brevi tem-
pore circumscripturn. Quam utilis fuit litium paucitas! (inquit
Coring. l. c. §. 41. p. 25.) cum singuli ex plebe intelligere possent
leges, secundum quas esset vivendum, nec processus simplex pateretur li-
tium diuturnitatem, & causidicorum malitia non pateret forum. To-
serabis hucque fuit Germanorum status, ubi vero culta
Roma cultæ Germaniæ iuras leges concessit, quod forsan iis-
dem actionibus eadem competenter leges, actum fuisse de
antiqva Germanorum felicitate, iterum dolet. *Coringius l.*
c. §. 70. p. 286.

§. XVI. Tandem quod cultum DEI attinet, apud
populos moratores Barbarus idem est ac Atheneus quomodo
vero

verò ex crassa ignorantia loci ad Coloss. 3:2. hoc convitum
ortum sit, erudite more suo ostendit Vossius de Theologia Gentile
Lib. I. c. 3. Contrarium quoque testatur ratio & experientia,
nulli enim à vero DÉL cultu etiam naturali longius aberra-
runt, quam qui cultissimam omnium jaētitabant Philosophi-
am v. Ethic. Excellent. Dni. Thomasi P. 1. c. 3. §. 67. Clarissime hoc
elucescat conferendo cultum Barbarorum, cum Græcorum
& Romanorum Idololatria, ad ductum Vossii, qui IX. inte-
gris libris id ipsum enarrat. Qvamdiu enim mens Barbaro-
rum præjudiciis vacua, sibi relicta erat, tamdiu creatorem
cognoscebat ex creaturis, utpote qvæ cognitio omnium cor-
di inscripta est. Hinc Tacitus de Germ. c. '9. Nec cohære-
(inquit) pariteribus Deos, neq;e in ullam humani oris speciem as-
similare, ex magnitudine caelestium arbitrantur. Populi vero
cultiores præjudicis suis naturalem DEI cognitionem ob-
fuscantur. Accedit Imperium in Intellectum cum societate
simul introductum. Apud Barbaros quilibet Paterfamilias
liberis suis cultum DEI instillabat. Posteaq;am vero Ty-
rannis mundum invasit, illisq;e pervasum esset, rationem
status velle ut veritas obscuraretur, & subditis per vanas do-
ctrinas vanus metus erga principes & reverentia summa in-
culcaretur, ademptum videtur esse patribusfamilias jus pro-
lubitu informandi, & scholæ publicæ institutæ, in quibus ini-
tio simplex DEI cultus per Idololatriam corruptus fuit, & po-
stea facile subdit ad sententias perversas & præposteras per-
dueti, qvia superstitione omnia certo credit qvæ vel maximè ra-
tioni sunt contraria. Unde & olim statim apud Gentiles
Principatus & Pontificatus fuerunt conjuncti. Ipsi autem
Præceptores publici à Tyrannis electi, cum & ipsi vanam au-
toritatem affectarent, & viderent veritatem tam facilem &
planam esse, operam dederunt, ut eam redderent obscuram, &
vel inanum verborum, vel mysteriorum involucris obscurca-
rent. Est enim cultorum populorum DEUS venter, hinc eo-
rum mentes voluptatis compedibus constrictæ in verum DEI
cultum surgere possunt minimè. Qvare Deus tradidit eos in

mentem reprobam ut in stultissimam dilaberentur Idolatriam. Conf. Rom. I. v. 24. seq. Barbari vero quod magis barbari fuerunt, eo sano rem Idolatriam (si sana aliqua est) rerinerunt; nempe cultum solis , qui rationi non adeo adversatur quam cultus rerum sublunarium , hominum , bestiarum &c. v. lib. Sapientie c. XI. v. 16. & c. XII. v. 24. Rom. I. v. 22. seqq. Illo vero cultu usi sunt Persae, Phoenices, Syri, Assyri, Babylonii, Arabes, Egyptii, Aethiopes & quicunque fere apud moratores barbarorum nomine veniunt.

§. XVII. Deniq; si habitum , seu σχέσιν ad religionem revelatam consideramus , nullos à cœlesti sapientia longius aberrare, quam quos mundus ut cultissimos populos adorat, res ipsa loquitur. Non percurram tempora Veteris Instrumenti, ostendendo quod ab impiis exstructa sint primæ civitates, in quibus nata cultura Patriarcharum filios quoque ad mores suos traduxit. Antequam enim filii DEI mores mundi assumerent , Cainitis non nisi barbari erant, ita ut familia Josephi tædio esset Egyptiis, quod incultam pastorum vitam ageret. Nec mentionem faciam barbarorum illorum Prophetarum, exulum illorum, errantium in solitudinibus, qui ovium tecti pellibus cum feris vitam exigebant, & odio & ludibrio omnibus gentibus cultioribus expositi. Paucis saltē consideremus tempora quæ natum Christum exceperunt, ubi Judæi detersa paulatim veterum Prophetarum barbarie , per conversationem cum populis moratoriis elegantiorem introduxerant doctrinam, præcipue postquam simul cum Graecorum Imperio Græcam quoque suscepissent Philosophiam. Pharisei enim ex Stoicis hauerant multa , & ex Pythagora Metempychosin v. Horn. Hist. Eccles. p. 229. Sadducei ex Epicuro v. Horn. l. 1. p. 230. Esseni vero optime cum Cynicis conveniebant. Horum omnium ineptiam disputationes cum Christo habitæ satis loquuntur. Cur cultiores gentes ab imagine Christi adeo abhorrent ? Aspiciunt nempe externam ejus faciem, quajuxta earum estimationem nihil abjectius, nihil contemptius.

ptius. Domus ipsius humilis; vita à voluptatibus planè abhor-
rens. Hinc mysticus vates: Non erat (inquit) ei species, ne-
que decor, vidimus eum, & non asperitus, & desideravimus eum de-
spectum & novissimum virorum. Discipuli ejus inculti, indocti,
pauperes, ignobiles & abjecti non è magnatum aula, non è
Pharisæorum cathedris sed à rēibus & telonio adsciri, non
nisi apud barbaram plebem aditum habebant; apud cultos po-
pulos enim omnem Methodium Philosophiæ ut & naturæ &
omnis honesti publicæque disciplinæ subvertere videbantur,
v. Huber. Hist. Civ. P. 2. l. 2. Sect. 2. c. 6. §. 6. Tandem quo magis
Ecclesia à simplicitate barbarica ad culturam degeneravit,
quo magis se implicavit elegantiis mundi hujus, eo gravi-
ra passa est detrimenta. Principio cum quibusdam forte
ex cultioribus contigerat Philosophia ante Christum cogniti-
tum, illa deinde adhibita est velut idonea res ad exponenda
oracula divina, deinde introducta est publicè, ut apta ad
profiliandos hereticos, donec tempore Constantini M. omnia
aulæ-vitia in Ecclesia irruperunt, ac ita magnis passibus itum
est ad cultum Ecclesiaz statum, opera enim data est elegan-
tioribus ritibus & ceremoniis magna parte à cultis Judæis &
moratoriis pagani introductis, intereor vero DEi cultus
apud exiguos quosdam latentes, & incultos Barbaros reman-
sunt, donec Antichristus panlatum elegantissime consumatus
est. Conf. Huber. Hist. Civ. Part. 2. l. 3. Sect. 1. 6. §. 5. seq. Hinc
enim ornata dicebatur Ecclesia, cum auro gemmisque luce-
rent altaria, quamvis decesseret pietas, sacraque doctrina in
subiles solveretur quæstiones, donec tota Christi Doctrina
Sophistarum, oratorum & poetarum literis ita esset exculta,
ut nuda Christi decreta cultiores Christianos prorsus offendere-
rent: barbarum enim erat apud illos de Christianis loqui
literis, nisi elegantius Aristotelicis ornatas proponeres. Do-
lendum autem maximopere est quod barbari Gentiles adhuc
sub ipso Dæmonum cultu si non meliorem certe nec deterio-
rem vitam vixerunt ipsis gentibus cultioribus, qui tamen
Christo nomen dederunt. Ita enim Couringius de Germa-
nis

nis Exercit. 3. §. 79. p. 113. Iste (inquit) mira animorum mun-
tio fere cum abjecto demonum cultu cepit: ad lenissimum Salvatoris
exemplum mitigata non nihil prisa feritate. Cujus sancte quietis
occasione, mox ad opum cupidinem & luxuriam proposito quodam
gradu transitum est. Donec tandem ad eam culturam perven-
tum est, ut qvicqvid apud moratos gentiles avaratia, qvic-
qid ambitionis, qvicqvid luxurie fuit, culta Ecclesia imi-
taretur, & vinceret. Superiori seculo cultis Theolo-
gis barbarus erat Lutherus ipse, utpote cuius mentem non
fubtilis (ut vocant) Scotus, sed celestis docuerat Christi
Spiritus, quod commendaret simplicem Theologiae Germa-
nicæ libelum, & humile S. Scripturæ studium, nec enim hæc
respondebant Theologorum tragicis personis, Aristotele suo
turgidis. Cur vero post illa tempora non paucis displicerit
simplex illa veritas, & revocata iterum fuerit Scholasticorum
cultura, de eo non modo integra nostra Differatio, sed etiam
res ipsa loquitur; raram scilicet imò nullam facit simplex
veritas & barbara virtus, cum culta stultitia & elegan-
tibus vitiis, mixturam.



00 A 6301



V 17

Rheo



Farbkarte #13



et in
n rec
πεο
Valen
te ,
cum
adra
oret.
C. Soz
dden
que a
vivus
aces a
o Du
ulte
m co
erbis
clica
onian
do q
erò g
anin
ttere
vi :
ra v
d aa

S.

Centimetres
Inches

DISSERTATIO MORALIS
De
**PRÆROGATIVA
BARBARORUM POPULO-
RUM PRÆ CULTIO-
RIBUS.**

40.
37

Quam
IN
ACADEMIA FRIDERICIANA
Publicæ Eruditorum disquisitioni
d. XV. Septembris Ao. 1693.
subjiciunt
PRÆSES
M. JOH. WILHELM ZIEROLD
Wiesenthalio-Misnicus,
&
RESPONDENS
JOHANN JULIUS SPROCKHOFF,
Brunsvicensis.

HALAE MAGDEBURGICAE
Typis CHRISTOPHORI SALFELDII, REGIMINIS ELECT.
BRANDENB. Typ.